



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructæ

De Vacatione, Amissione, Et Extinctione Beneficiorvm ...

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

961. Qua de causa, & qualiter divisio Diœcesis cum erectione novæ Cathedralis fieri & permitti possit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74494](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74494)

curus Rector consentire noluerit, possit Episcopus etiam invito, ubi adest iusta causa, procedere ad divisionem. De Parochianorum consensu non requirendo facilliter admittitur, quod tradit *ibid.* Castrop. Hoc bene subiungit Castrop. n. 6. ex *Barbos. ad cit. loc. Trid. nu. 4.* posse tamen Rectorem, uti & Parochianos à decreto divisionis, & erectionis novæ factæ per Episcopum, etiam tanquam Sedis Apostolicæ delegatum, appellare, ita ut hæc appellatio necessariò interponenda sit apud Sedem Apostolicam, ubi Episcopus divisionem fecit tanquam Sedis Apostolicæ delegatus. Si verò aut Ordinarius processit, appellatio interponi potest sit coram Metropolitanos habituram autem appellationem effectum non suspensivum, sed devolutivum, ait *ibid.* Castrop. Argumento *c. ad audiendum. de Eccl. adif.*

Questio 960. An, & qualiter Episcopus facere possit divisionem?

Respondeo primò: Utrique præcedente conditione servatâ, accedente etiam iustâ causâ, Ecclesiarum sibi subjectarum divisionem facere potest Episcopus, ut colligitur satis ex *Trid. sess. 21. c. 4. Castrop. loc. cit. n. 3.*
 2. Respondeo secundò: In Ecclesia tamen Collegiata numerata, hoc est habente certum numerum & determinatum præbendarum sectionem Canoniarum ad effectum augendi numerum Præbendarum seu Canonicorum facere non potest Episcopus, dum numerus ille certus semel statutus esset auctoritate summi Pontificis; quia talis numerus sine auctoritate Papæ alterari, adeoque nec augeri dividendo, nec minui supprimendo præbendas potest. *Lott. cit. q. 28. n. 55. & 56. citatus Jo. And. in c. cum accessissent. nu. 19. de Constit. Quod tamen intelligendum subiungit Lott. n. 57. nisi ex post fructus excreverint, vel decreverint, ut Abb. in cit. c. cum accessissent. nu. 4. & Felin. nu. 17.* Illud etiam notandum, quod ait *Lott. loc. cit. n. 60.* nempe quòd, dum requiritur, ut concurrat consensus Capituli pro tali alteratione status Ecclesiæ, quæ contingit per talem divisionem aut suppressionem, illud referendum sit ad Prælatum Superiorem illius Capituli; eò quòd Capitulum nunquam ex se id possit, sed omnino requiratur auctoritas Episcopi. Si tamen Episcopus non sit de Capitulo, vel habeat bona communia cum ipso Capitulo, tunc enim exigatur auctoritas Metropolitanæ, vel Papæ, ut *Jo. And. loc. cit.*

Questio 961. Qua de causa, & qualiter divisio Diocesis cum erectione novæ Cathedralis fieri, & permitti possit?

Respondeo: Dum ex diocesis amplitudine, & itineris asperitate difficile, nimumque incommodum redditur pastori, oves statutis temporibus visitare, recognoscere; ipsisque ovibus pastorem adire, iustam censeatur causam faciendi divisionem diocesum, ait *Card. de Luc. in Miscellan. d. 1. n. 117.* At tamen certa & determinata Regula cuiuscunque casui applicabilis desuper statui non potest; plura siquidem, quam dicta causa requisita ad id desiderantur ea præsertim, ut antiquæ Ecclesiæ dignitas non vilescat, ac etiam nova convenientem quoque dignitatem sortiatur & conservare valeat. Quod ipsum pro regionum moribus Regulam recipit; cum in una regione non dedecet, Ecclesias Cathedralis habere fines brevissimos, in alia regione praxis sit diversa, & contra,

P. Leuren. Fori. Benef. Tom. III.

Card. de Luc. loc. cit. quæ eadem ferè repetit ad *Trid. d. 16. n. 6.* de hac autem diocesum divisione agere, & hac examinare spectare ad Congregationem Consistorialem, ait *cit. d. 1. in Miscellan.* & ea frequenter in forma potius extrajudiciali & consultativa disputari, & examinari solere in dicta Congregatione, ait ad *Trid. l. c.* vide eundem *deprement. d. 6.*

Questio 962. Qua de causa, & qualiter procedi possit ad divisionem Provinciae Ordinis alicujus Religiosi?

Respondeo *Card. de Luc. de Regular. d. 27. nu. 3. & 4.* eisdem ferè terminos adhibendos in dismembratione, & divisione hujusmodi Provinciae, qui adhibentur in materia divisionis Ecclesiarum Parochialium; cum & hæc divisio sit alienatio prohibita cadens sub terminis *Extrav. ambitiosas* exigere non solum solemnitates consistentes in beneplacito Apostolico, & in consensu interestatorum, sed etiam iustam causam necessitatis, cui aliàs opportunè provideri non possit; quòdque verificentur duo extrema: nempe primò, ut antiquæ Provinciae dignitas per hujusmodi divisionem non vilescat, sed in congruo suo ac decenti statu remaneat. Secundò ut novum corpus illud, seu nova Provincia cum debita decencia constitui valeat, ne aliàs vilipendendi ratio eadè, quæ in Parochialium, vel etiam diocesum divisione intrer. Porro de divisione unius religionis ab alia vide eund. *Card. de Luca. de Regular. d. 5. per tot.*

PARAGRAPHVS II.

De Alteratione, & Suppressione Beneficiorum.

Questio 963. Quid hic veniat nomine alterationis, seu mutationis beneficiorum?

Respondeo: Variam spectari posse beneficiorum alterationem, quarum alia extrinseca, alia magis intrinseca videtur, ut dum beneficium de subiecto Jurispatronatus transit in liberum, vel contra. Qui transitus qualiter contingat, satis constat ex dictis de *jurep.* Item dum annexa beneficium in ejus fundatione & erectione onera mutantur, demuntur, aggravantur; sic enim quasi extrinsecè dici potest mutari beneficium, de quo etiam dictum a *libi*, ubi de erectione beneficiorum. Alia magis intrinseca mutatio est, dum simplex in curatum, aut dignitatem, regulare transit in seculare, vel contra; de quo postremo dictum ad initium *part. 1.* ubi de natura & divisione beneficii. Nominè verò alterationis Ecclesiarum magis ordinariè venire solet ea mutatio, quæ Ecclesiæ aliqua (intellige, in qua est Congregatio aliqua Clericorum) Regularis mutatur in secularem, vel contra, Ecclesiæ aliqua Collegiata purè in Cathedralis, Cathedralis in Metropolitanam, Parochialis in Collegiatam, simplex in Parochialem, Conventualis unius Ordinis in Conventualem diversè instituti & professionis. *Azor p. 2. l. 6. c. 30. q. 1.* Alterari quoque statum Ecclesiarum, præcipuè curatarum, sive sint Collegiatæ, sive simplices, tribus nempe sectione seu dismembratione, suppressione, & unione beneficiorum, ait *Lott. l. 1. q. 28. n. 1.*

Questio 964. Penes quem sit potestas alterandi Ecclesias modo dicto?

Respondeo primò: Mutandi Ecclesiam Parochialem, vel etiam purè Collegiatam, aut

Qq 2

quam